

Initiu sapientia timor domini

H

ANGELI
MORELLII ARRETINI
SERVITAE PHILOSOPHI,


& Theologi eximij.

De Transitu humanarum Animarum in beluas explicatio pro Pyttagora, & Platone.

Eiusdem, An sanguis sit formaliter animatus, & uiuens quest. Prima

An sit Pars Corporis Quest. 2.

Eiusdem Dialogus de Amore Etrusca Lingua conscriptus.




PATAVII,

Apud Laurentium Pasquatum Typographum Vniu ersitatis Iuristarum.


M D LXXXIX.

Cum Superiorum Licentia.





FRANCISCO MARIAE II VRBINATVM DVCI SERENISSIMO.



Faustus Albergotius salutem.



CVM Genus humanum ex duabus conflatum sit partibus, quarum vnam obtinet animus, alterā sanguis animi nostri sedes. Id circo ipsius etiam perfectio, atq; nobilitas non ab una solum; sed a duplici illa natura emanare videtur; vnde felices illos ego semper existimaui, qui cum alterius partis virtute, alteram etiam coniunctam habent, quod si in iis, qui priuatam ducunt uitam hoc mirabile est, multo etiam magis admiratione dignum in illis erit, qui ad mundi gubernationem creati fuerunt a Deo: hic enim cum intelligendo non solum hanc terrenā molem, sed etiam corpora celestia regat, atq; gubernet; idcirco sicut ille solus intellectus est; ita etiam princeps, vt princeps est sapientia solum, atq; lex viuens; Cuiusmodi splendor si infra celum, in aliquo ex mortalibus appareat; in serenissima altitudine tua mirum imodum refulget. Vnde ego tanquam celestem virum illum colendo, nō ex aliquo mortalium; sed ex diis potius in illum migrasse animū facile coniicere possum. Quamobrem non solum ut sub exoptatissimum numen opus hoc in lucem prodiret: Sed etiam vt aliquid meæ erga ipsū deditissimæ seruitutis posteris relinquere signū, tuo altissimo nomini illud dicaui, cui Deus sēp pstō sit vale Arretii &c. Kal. Octobris. M D LXXXIX.



AD SYNCERVM LECTOREM.



HAEC quis dona viri celauerit inuidus alta
  Angelici? hunc ſæuum Tartara ſæua vorent.
Qualiacumque uides, lector, pro munere Fauſtus
  Donat Eques, Diui rara corona ſui.
Hic quanto Angelicã uitã eſt complexus amore,
  Vt decuit, ſimili funera proſequitur.
Non imis terris, ipſo ſed condita cælo,
  Sentires, quiſquis tam pia ſcripta legis:
Sed, quæ integra tibi viuens poſt ipſe dediſſet,
  Orbi nunc toti mors inopina negat.
Candide tu lector, grato iam pectore ſume:
  Eſt aliquid ſatius, quàm te habuiſſe nihil.



DE TRANSITV HVMANARVM *Animarum in Belluas explicatio pro Pyttagora, & Platone.*



IN hac ardua difficultate, & antiquiſſima veterum opinione de Metamorphoſi, & tranſimigratione Animarum humanarum in belluas, & brutorum corpora, duo potiſſimum duxi facienda, opinionis huius authorẽ ſcrutari: ſecundum authore inuento verum, & germanum ſenſum illius in medium afferre.

Comunis omnium ſententia eſt, Pyttagoram huius opinionis primum authorem fuiſſe, quàm uis ex iis, qui fidem profitentur Chriſtianam nõ defuerint aliqui, qui voluerunt Pyttagoram hæc didiciſſe ab ipſo Moiſe; neq; mirum eſt, quia iſti ſic aſſerentes dant prædictæ poſitioni ſenſum allegoricum, & Chriſtianum fidei noſtræ conformem, nec non ſcripturis ſacris oraculiſq; Prophetarum ſatis conſonum, vt in ſequentibus apparebit. Contendunt alij quod ſapientia Pyttagorica à Zoroaſtre manauit, à quo Pyttagoras fuit edoctus, ſed Pyttagoras poſtea omni errore poſt-

poſito

posito multa alia didicit ab eis, qui diuina verba degustarunt, & ab eo deinceps didicere Archita Tarent. Euritus & Phylonus, quippe qui pauca illa carmina, & symbola Pyttagoræ ascripta litteris commendauit: & tandem ab istis etiam & Plato Pittagoricam sapientiam didicit, nam Plato cum peragrasset orbem, & alias omnes Philosophorum opiniones examinasset Pyttagoricā deniq; Sectam tamquàm verisimiliorem præceteris elegit, & illustrauit; ob id Pyttagoricos disputantes, vt Thimeum, Locrum, Parmenidem, Eleatem atq; Zenonem in suis dialogis inducit: Vnde Metamorphosim illam siue transitum animarum in Brutorum corpora non solum Pyttagora, verum etiam & ipse Plato sustinuit, vt scribitur in Phedone in x. de Repub: & in Timeo: Præterea quod ista fuerit Pyttagoricorum Platonisq; sententia, Hominum scilicet Animas in belluarum & brutorum corpora migrare, constat ex doctissimorum hominum testimonio: nam Iustinus Martir contra Triphonem id affirmare videtur: Lact. firmianus in lib: de falsa sapientia, vbi hanc Pyttagoricorum sententiam narrat, & refellit: Plutar. in libro an bruta animalia ratione vtantur, & in quinto de placit. Philosoph, cap. secundo nec non Apuleius in Metamorphosi sua eandem sentētiam Pyttag. & Platoni ascribunt. Porph. quoq; in lib: de abstinentia aīalium

D. Au-

D. Augustinus lib:Decimo de Ciuit.Dei.Basilius in esameron. Marsilius ficinus in sua Theolog. lib. 17.Bessarion Card.Lib.secundo contra calũniatorem Platonis: hoc idẽ D. Platoni attribuũt. Eamdem positionem asseruit Trimegist. in Pimandro ante ipsum Platonem, nec nõ AEgiptii sacerdotes: hoc idem tuetur Plotinus author grauis, & magnæ inter Platonicos authoritatis in lib. de Demone proprio, uti apertissimè asserit homi num animas belluarum corpora aliquãdo induere, eidem opinioni manus dare videntur Cronius platonicus in lib. de iterata generat. Boet. in libello de consolat. Philosoph. lib. quarto prosa, & metro 3. Hæc eadem positio ab Orpheo, Empedo. Hæraclito, & à pluribus poetis quodammodo carminibus decantata fuit. Daphnem .n. in laurum versam decantat Ouidius. Virgilius etiam Polydori animam ex stipite clamante describit. Assertio ista quàm plurimis difficultatem peperit, quoniam non parua dubitatio est, an trãsitus iste, vel migratio animarum in brutorum corpora sit realis transmutatio, ità ut uerè transmutentur in naturam, & speciem brutorum, & re ipsa corpora brutorum ingrediantur, an potius allegoria quadam hoc ipsum intelligendum sit, & utraq; pars suos habet fautores. Pro perfecta huius rei intelligentia est sciendum, quod Aegiptii Sacerdotes Mercurius, Pyttagora, & Plato asserebant,

ferebant, quòd hominum animę propter peccata, uitia, & facinora ab eis commissa, mutabātur in supplicium, & pœnam comissorum scelerum in diuersa animalia, & quò magis hominum animę erant vitiis & erroribus contaminatæ, eò magis dicebant in deteriores animalium formas mutari, uilissimorumq; brutorum corpora ingredi; & hoc non ob aliud nisi in pænam, & supplicium: id circo uolebant homines ex prestantiori natura in naturam imbecilliorem, & ignobiliorem mutari, & primo asserebant homines ipsos conuerti in fœminas turpissimi dedecoris gratia, imbecillioris enim & ignobilioris naturæ sunt q̃ homines, deinde in alia animantium genera dicebant nisi à vitiis se abstinuissent, & ita in aliena corpora migrare pro demeritis, immo turpiora, & ignobiliora brutorum corpora ingredi iuxta scelera, & uitia commissa; ut gratia exempli qui furiosi extiterint homines in Leones mutentur, i. animas furiosorum hominum corpora leonū ingredi, rapaces uerò homines cōuerti in Lupos, voluptarios in Sues, nutritioni die noctuq; inseruientes in Plantas, rapina viuentes in Miluos, crudeles aduersus alios hoīes ī Dracones, Auaros in Lupos, insidiator occultus in Vulpes, feroces atq; secundum linguam in litigiis inquietos in Canes, pauidos, & non metuenda formidantes, in Ceruos, segnes ac stupidos in Asinos, leues, & in

constantes in Aues, & deniq; terrestria in acquatilia quandoq; mutari; & ita fit ut vitiosæ animę varia induant corpora, & consequenter probitate, & virtute derelicta homo esse desistat, & cum in diuinam conditionem vitiis mancipatus transire non possit, vertatur in belluam : in hoc videntur conuenire omnes, qui de transitu animæ in brutalia corpora locuti sunt : sed dubium postea non contemnendum emergit, an videlicet transitus iste & migratio animæ humanæ sit realis, & vera transmutatio. An potius hęc omnia sint allegoricè & secundum affectus intelligenda, & exponenda: Non desunt qui tenent quòd Plato, & Pyttagoras realiter, & verè loquebantur hoc est animas impuras, ac vitiatas circa sepulcra post mortem versari, vel diuersas formas belluarum suscipere realiter, & verè : Huius opinionis sunt quidam Neoterici Platonici sustinentes quod animæ humanæ secundum Platonem re ipsa, & verè in belluarum corpora pro commissis flagitiis migrant: addunt quod hanc opinionem Platonis eiusq; vera dogmata ad allegorias deducentes, & detorquentes ab eius sententia longissimè discedunt, nec satis quid ipse intellexerit assequuntur; neq; credendum est, quod in naturalis Philosophiæ narratione moralia consilia voluerit afferre, presertim cum nec omnia sub enigmate à Platone dicantur, ideo non est confugien

dum ſemper ad allegorias: at quis naturali deſiderio ſciendi fortaſſe percunctabitur, ex quo narrata Metamorphoſis eſt exponenda ſecundum rem, & realem intelligentiam, nunquid animæ illæ perpetuo manebunt in belluarũ corporibus an exibunt quandoq; ? Ad hoc reſpondere uidetur Plato in Timeo & ſequaces eius dicentes, quòd pro meritis animę remunerantur; pro demeritis, & commiſsis flagitiis puniuntur, quòd diuerſis ſuplicii generibus apud inferos, ſeu manes torquentur, quod ingreſſæ, in belluarum corpora ibi tale dedecore puniũtur, nec aliquod opus ſuum exercere poſſunt inſtrumentis illis animatis, in quo detruſæ ſunt & detinentur, nec inde exire, & egredi valent, donec purgationis tẽpus conſtitutum peregerint, & longo temporis curriculo purificatæ, & à vitiis expurgatæ fuerĩt, & ſic purgatæ à uitiis à conditionibus, & corporibus brutalibus ſoluentur, & ad cœleſtem ſedẽ; ſiue ad prioris hominis uitam redibunt: non deſunt igitur, qui volunt hunc tranſitum animarũ in brutorum corpora realem, & uerisſimum eſſe ſecundum Platonem ut Neoterici plures aduerſarius, & caliniator Plat: Verùm opinio hæc a ueritate omuino diſſentit, neq; huiuſmodi ſenſum unq̃ habuit Plato(ut dicemus, ſed altius reſonabat: præterea admiſſa etiam poſitione hac, quòd animæ humanæ ſecundum Platonem verè ingrediantur

diantur belluinum corpus, non tamen id sic esse intelligendum, vt isti Platonici intelligunt: credunt enim quod animæ ille formet brutalia corpora, & quod ipsa formentur ab illis; at res non ita se habet, quia licet anima hominis brutale induat corpus, non tamen ob id brutum constituitur ex materia & anima hominis; quod ex eo patet; quia peracto tempore, quo anima in eo brutali corpore purgari debet à uitiis soluetur, liberabitur, & purgata exibit: Ad fundamentum istorum cum dicunt non esse putandum Platonem in Philosophiæ narratione voluisse moralia consilia, & allegorias afferre, respondemus, quod Plato fuit & Philosophus, & Theologus simul, nam, vt inquiunt Platonici plures, & alii, edoctus fuit à Hieremia propheta, immo Marsilius Ficinus vnà cum Numenico Pyttagorico ait, Platonem nil aliud esse q̃ Moisem ipsum Attica uoce loquentem; vlterius veritatis inueniendæ causa AEgiptum, AEgiptiosq; Sacerdotes Italiam, Siciliam perlustrauit; amplius multa dixit de Deo, de pœnis premiis bonarum, & malarum animarum, & ut fatetur Diuus Augustinus reperitur in suis operibus Euangelium Ioannis in principio erat verbũ, vsq; ad eam partem exclusiue, & Verbũ, caro factum est: Plura alia quæ magis ad Theologos q̃ ad Philosophos attinent literis mandauit; Preterea Pyttagoras à quo talem positionem, &

doctrinam Plato accepit fuit circuncisus, & circuncisionem accepit ab AEgiptiis: AEgiptij uerò ab Hebreis, ideo putandum est quod de reali, & uero animarum transitu nunq̃ intellexerit, sed altiori sensu loqutus sit ut ex sequentibus fiet manifestum: Circuncisio enim religionem, & obseruantiam quandam erga Deum ostendit, propterea quæ de pœnis animarumq; transitu à Pyttagora, & Platone dicuntur, Theologicè, & non phisicè intelligenda sunt: Addimus quod ista opinio de transitu reali repugnat ne dum rationi, sed etiam ipsius Plat. authoritati, & aliorũ, quod rationi aduersetur hunc in modum persuaderi potest, quia humanum corpus non aliã capit animam, q̃ humanam, nec humana anima in aliud quam humanum corpus inclinatur; colligitur id ex D. Plotino in de prouidentia, vbi sic ait, ratio seminaria Bouis non alia quam in Bouis materia est, similiter, & ratio seminaria hominis in subiecto humano existens nec minuitur, nec augetur, quod ab initio naturæ tributum fuit, hoc est non minuitur secundum subiectum, aut rationem specificam, sed mutatur secundum mores: Amplius Beatus Thomas in Boet. de consolat. Philosoph. lib: 4. transmutationem in bestiã remanente anima rationali, non esse posibilem secundum rem, vt tali argumento constat, quia si esset posibilis, vel esset posibilis secundũ trãs

mutationem

mutationem ſubſtantialem, vel accidentalem, nõ ſecundum ſubſtantialem, quia per talem trãſmutationem induitur noua forma ſubſtantialis, & ſic duæ formæ ſubſtantiales ſpecificè differentes, vt forma lupis, & hominis ſimul informarent idem corpus quod eſt abſurdum, & falſum; non tranſmutatione accidentali, i. ſecundum accidentia propria, quæ diſponunt materiam ad determinatam formam, quia impoſſibile eſt materiã ſecundum vnam, & eandem diſpoſitionem proportionari diuerſis formis: vnde omnino impoſſibile eſt animam intellectiuam vniri materiæ diſpoſitæ ad formam Lupi, ergo tranſmutatio vera, & realis animarum in brutorum corpora eſt prorſus impoſſibilis; contradicit authoritatibus; & primo oſtenditur quod contradicit Platoni. Plato enim referente etiam Marſilio ficino, animas hominum tranſire in beſtias in lib: de legibus non confirmat, imò in 9. lib: inquit animas hominum ire in alios homines ſecundum fabulas Sacerdotum, & in ſeptimo declarat quomodo exponendum, ſi quandoq; dicatur animas hominum aliis corporibus ſe ſe inſerere: vbi dicit eum qui doctrinas neceſſarias ignorat nunq̃ fore inter alios homines Deum, aut Demonem, aut Hæroem, quaſi velit quod per comparationem, & reſpectiuè ad alios homines hæc dicantur, & illa, quæ de tranſitu animarum in belluas

fabulantur

fabulantur. Et Plato secundum Marsilium ea solum de rebus diuinis affirmauit, quæ in Epistolis ac legibus comprobauit: alia verò quæ in cæteris libris tamquàm priscorum inuenta recensuit probabilia potius habuitq̄; certa; & ita in lib: de legibus, & Epistolis animarum trāsitus in bestias non videtur approbasse, nec similiter circuitus earumdem infinitos: At si quis proteruiendo cō tenderet, Platonem etiam illa approbauisse, & affirmasse, quæ alibi dixit præterquàm in legibus, & Epistolis, admittatur disputationis gratia, sed putamus quod longè aliter quàm verba designēt sint exponenda tum ex Platonis verbis, tum etiā veterum Theologorum testimoniis, quarè siquis nobis obiiciat, quod Plato in Timeo dicit animam hominis in bestiæ corpus transire: Respondemus quod voluit animam humanam in naturam ferinam transire propter scelera commissa, & non in corpus feræ: sic habet ipse similiter in phędro: idē in vltimo de Repub: vbi dicit Tersitæ animam non in Simiæ corpus, sed in Simiam migrare: Præterea in Phædone, ex quo narrauit (Poetarum more) transitum animarum in belluas propter supplicia peccatorum apposuit non esse prudentis viri talia confirmare, sed id solum asseuerari posse prudenter quod animæ vitiis contaminatæ pænis aliquibus pro suis flagitijs afficiuntur; addit quod animæ a sordibus purgatæ apud

Deum

Deum in æternum sine corporibus viuent: hoc idem in Epinomide, in Georgia, Tecteto, & x. lib: de Iuxto confirmat. Ex ijs ergo habemus vel quod Plato transitum animarum in bestias non approbauit, vel si approbauit, quòd non est exponendus de transitu reali, & vero, vt iam manifestum esse potest ex locis eius adductis, sed alio modo intellexit: per hæc enim voluit Plato more Christianorum sempiternum bonum, & malum nobis significasse. Repugnat etiam authoritatibus aliorum, quia aduersatur AEgiptijs sacerdotibus, Mercurio, Iamblico, Porphyrio, & alijs, vt manifeste apparebit in assignanda verissimum hac in re Pyttagoræ & Platonis sensum. Qua propter sciendum est quod isti duo viri grauissimi non minus Theologi quàm Philosophi extiterunt, & ab AEgiptijs sacerdotibus animarum transmigrationem in bestias accepere, licet ab antiquis sacrarum litterarum scriptoribus, positio ista facile deduci possit, vt paulo infra ostendemus: idcirco sine aliqua hæsitatione credendũ est Pyttagoram, & Platonem de vero, & reali transitu non intellexisse, sed de allegorico, & similitudinario hunc in modum: Homines, siue hominum animæ vitijs affectæ belluarum & brutorum sumunt mores, similesq; illis propter eadem vitia efficiuntur, & sunt, ita vt homo veste humana deposita propter scelera, & flagitia, qui-

bus

bus suam contaminauit animam, bestiæ, vel bruti illius indumentum quodammodo suscipiat, cuius se moribus simillimum præbuerat, homo enim vitijs sceleribusq; refertus non meretur dici homo, nam sicut homo indoctus (referente Auerroe in proemio magno totius philosophiæ naturalis, non dicitur homo nisi æquiuocè, ita homo sordibus affectus non meretur dici vniuocè homo, sed magis irrationale animal idest brutum, vel bellua: ita scribit Boetius in de consolatione philosoph: lib: 4. quod vir probitate deserta cum in diuinam conditionem transire nō possit vertitur in belluam, i. fit belluæ omnino similis, cum mores, & actiones exerceat quas bestiæ, & bruta exercent, & nō quas homines, hinc est quod homo auarus, & aliena surripiens vt eodem in loco Boetius scribit est similis Lupo, linguosus, & litigiosus homo cani comparatur, insidiator ocultus Vulpeculis, Iracundus Leoni. Ecce quomodo Boetius non asserit animam hominis iracundi vere transire in corpus bruti, sed ait similem illi fieri, illiq; comparari propter identitatem vitij, in quo Leo, & vir talis concurrunt: sic de alijs ęquali ratione: Immò Boetius in tractatu de summo bono idem apertissime fatetur, inquiens, ve vobis hominibus qui de numero bestiarum estis computati, diuinum quod in uobis est non cognoscentes, per quod ad superiora ascenditis

ſcenditis & Deo ſimiles eſtis ; & per diuinum in homine intellectum voluit : vnde notauit Sanctus Thomas ſuper Boetium in de conſolatione, quod in nobis duplex eſt virtus cognoſcitiua intellectus, & ſenſus , intellectus , inquit , eſt quid Diuinum in nobis per quem ad ſuperiora aſcendimus, Deoq; ſimiles ſumus , ſenſus uerò quatenus non obedit rationi eſt quid brutale in nobis per quem beſtiis ſimiles efficimur, &in fine illius proſæ inquit Doctor Sanctisſimus , quod tranſmutatio animę eſt peior quam tranſmutatio corporis, Anima enim eſt nobilior , & eccellentior corpore: vnde tranſmutatio facta in anima de virtutibus ad vitia ſtāte humano corpore eſt deterior tranſmutatione corporis humani in ſpeciem beſtiæ anima ipſa remanente intrāſmutata .i. perſeuerāte in bonis moribus, & virtutibus: ratio huius eſt quia tranſmutato corpore, & nō anima adhuc homo dicitur homo ratione animæ , & tranſmutata anima remanente corpore, iā homo non dicitur homo niſi æquiuocè, animę igitur tranſmutatio deterior eſt : Quare ſecundum Boetium, & D. Thomam Plato, & Pyttagoras intellexerunt non de tranſmutatione reali , ſed de tranſmutatione dūtaxat ſecundum denominationem, quia homo vitiis affectus fit ſimilis (ut diximus belluæ , & bellua denominatur, non quod re ipſa ita ſit , nam ſecundum AEgiptios , &

Platonicos si rationalis anima portioni superiori adhereat, vt verbis utamur nostrorum Theologorum, in Angelum, vel Intelligentiam immo in Deum ipsum transmutatur, quia fit illi similis in virtutibus, & bonis moribus; si verò parti animalis vel portioni inferiori adhæreat, euadit in belluam; ex ijs igitur admonemur, & hunc transitum accipiamus non quidem secundum realem permutationem corporis, vel speciei, sed secundum denominationem, secundum affectus, mores, habitus, vitam, & deniq; methaphoricè: quod non solum ex adductis rationib⁹, & authoribus habetur, verum etiam ex testimonio aliorum antiquorum, & doctissimorum hominum facilè colligitur: Iamblicus enim Porphirius, Proculus, Hermias, atq; Sirianus horrendũ facinus existimauere cœlestes animas in bestias præcipitari: asserentes quod anima à centro, in quo semel est defixa diuelli nunquàm potest, neq; fas est (aiunt) in corpus bruti animam rationalem corruere prohibente diuina lege tam nefariam generationem: ideo Porphirius, & Iamblicus horum confutato errore concludunt hominem moribus deprauatum non Asinum, sed Asininum, non Leonem, sed Leoninum dici debere: & ante istos Thimeus quoq; Pittagoricus nobilissimus migrationem animarum in bestias ait falsò inductam esse ad terrorem hominum impiorum,

piorum, vt metu, & terrore proculſi ſaltem formidine pæne abſtineant ſe à vitijs, retrahantur à flagitijs, & virtutibus incumbant: Nam oderűt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine pęne: Hoc idem expoſuit Mercurius AEgiptiorum Rex, Sacerdos, & Philoſophus, qui cum migrationem animarum ritu Poetico deſcripſiſſet, adiunxit, Diuinam legem non permittere migrationem animarum noſtrarum in corpora belluarum: Accedit ad hæc authoritas Zoroaſtri illius priſcæ Theologiæ inuentoris qui in ſuis oraculis ait .i. tuum vas beſtiæ terræ inhabitant: quare ſi in nobis vel intra nos beſtiæ ſunt, intra quoq; ſimiliter tranſitus in beſtiam fiet, & non extra realiter: Amplius adeſt Plotini authoritas in lib: de virtutibus, & in ſuo de proprio cuiuſq; Dæmone: Accedit quoq; authoritas Ariſtot. quæ maxima eſt, quippe qui in Ethicis aſſerit hominem per virtutis excellentiam in ſupremam naturam, & diuinam trãsformari, & in Politicis ſcribit hominem moribus deprauatum non ſolum in beſtiam mutari ſed illa ipſum deteriorem fieri.

At quod magis iudicio meo admirabile eſt conformis, & conſona eſt antiquorum narrata opinio Euangelio noſtro ſacris què prophetarum oraculis: nam ex ſcripturis expreſſe habetur hominum ſeu rationaliũ animalium transformatio in

Deum propter virtutes, & mores optimos, & trãſ formatio in belluas propter vitia, & facinora cõmiſſa: de transformatione corporis in melius ſimiliter, & animæ loquitur Propheta cum ait, in imaginem pertranſit homo: Paulus ad Philipp: Saluatorẽ expectamus Dñm noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ cõfiguratum corpori claritatis ſuæ: itidem Paul: de trãſmig. animæ ad Corint. dicit: in eamdem imaginem transformamur, quæ ſcilicet Dei filius eſt, nam dedit nobis poteſtatem filios dei fieri: & in Pſalmo: ego dixi Dii eſtis, & filij excelſi oẽs: Etiam D. Paul. ad Epheſ. qui adhæret Deo vnus ſpiritus efficitur cum eo: De tranſitu verò in belluam propter malos mores & vitia habetur ſimiliter teſtimonium in ſcripturis Loth .n. vxorem in ſtatuam ſalis conuerſam legimus in Moiſe: Nabuchdonoſor verſum in beſtiã fænum inſtar bouis comediſſe deſcribit Daniel: Hieremias ob crudelitatẽ populum ſuum ſtrutionibus equiparat: Propheta ẽt dicit, homo cum in honore eſſet nõ intellexit, comparatus eſt iumẽtis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, quod intelligendũ eſt, nõ quidem natura, ſed moribus, & conſuetudine: Et Dñs per Eſai ingratum populum execrando, ait, Cognouit Bos poſſeſſorem ſuum, & Aſinus præſepe Dñi ſui Iſrael autem me non cognouit:, peior videlicet beſtijs effectus: & apertius Salomon in

Prouerbijs, hoīem nunc Leonem, nunc Tigridē, Vrsum, vel Aprū apellat; nunc Leporem, Canem, Leporaticum, aut Curriculum, nunc formicam, Hericium, Serpentē, vel Araneum; nunc Aquilā, Stellionem, Gallum, vel auem aliam nominat: & plura alia huiusmodi in methaphoris differens mores hominum per bestias, quibus assimilatur describit: immò quod magis est, Christus ipse omnium doctor, & magister homines voraces, & cruētos Lupos appellat inquiens, extrinsecus sūt oues, intrinsecus aūt Lupi rapaces: Iudam ex nequitia sua proteruientem diabolum nominat, dicens, Nonne vos elegi Duodecim, & vnus ex vobis diabolus est? similiter Petro vade retro Sathanas scandalum mihi es: & tandem id genus plura habentur in scripturis sacris, quæ tum temporis angustia tum breuitatis ergo silentio nunc inuoluam: Qua de re concludendū est quod huiusmodi transformatio, vel migratio humanarum āiarum in belluarum corpora, tantummodo fit secundum affectus habitus, & mores, & operationes, quibus operationibus non minus cognoscitur rei natura, quàm forma ipsa, & effigie; clarius.n. Pomum, à Piro, & Persicum ab Amigdalis fructum cognosco q̃ trunco: Lupum similiter à Cane, & Leonem, aut Bouem ab Equo non minus per vocem, q̃ expelle iudicamus, Solē quoq; magis luce, & calore, q̃ figura à Luna distīguim⁹.

SAN-


DE SANGVINE

An Sãguis sit formaliter Animatus, & Viuẽs

QVESTIO PRIMA.

AN SIT PARS CORPORIS

Questio Secunda.



QVERITVR An sanguis sit formaliter animatus. Arguitur ad utrãq; partem: & primo ad partem affirmatiuã quod sic. ratione, & authoritate: Primo ratione sic Si de quo minus ur̃ non in esse, & inest, ergo & de quo magis, sed minus uidetur de unguibus, de pilis, & capillis quod sint Entia animata formaliter, & tamen sunt, ergo & de quo magis scilicet de sanguine, ergo sanguis est formaliter animatus: Maior est Arist. in Topicis: Minor probatur. s. quod magis uidentur de sanguine, ut sit animatus formaliter quam de unguibus, pilis &c. quoniam sanguis est magis necessarius pro esse hominis quã sint capilli, vngues, & pili, ergo de

sanguine

ſanguine magis videtur formaliter uiuere, & animatum eſſe: Minor probatur, quò ad aliam partem .ſ. quod vngues, pili, & capilli ſint etiam formaliter animata & viuentia; quia prædicta augẽtur (ut patet) ergo ſunt animata, & uiuentia, probatur iſta conſequẽtia quoniam augumentatio nõ niſi viuentibus, & formaliter animatio conueni re uidetur: probatur quia auctio eſt operatio animæ uegetatiuæ.

Secundo ſic Arg. ſanguis eſt pars humani corporis, ergo eſt formaliter animatus: conſequentia probatur, quia partes corporis animati animatæ ſunt. Antecedens probabitur in queſtione propria de hoc An.s. ſanguis ſit pars corporis.

Terzo ſic; ſanguis ab anima perficitur, ergo eſt formaliter animatus, conſequentia patet à ſimili de oſsibus, que perficiuntur ab anima, & animata ſunt formaliter, licet non ſentiant: ita ſanguis licet non ſentiat ſicut nec oſſa, tamen formaliter uiuit quia ab anima perficitur.

Quarto arguitur, authoritate ſcripture: legitur in leuitico cap. 7. Sanguinem vniuerſæ carnis non comedetis, quia anima carnis in ſanguine eſt: Quo in loco licet gloſa quod aliquid uitale eſt in ſanguine, per quem anima corpori maxime unitur, ex qua quidem gloſa apparet ſanguinem uiuere, & conſequenter formaliter animatum eſſe.



In

In oppositum pro parte negatiua arguitur ratione, & authoritate: Primo rationibus sic: Sanguis non est subiectum propinquum sanitatis, aut ægritudinis, ergo sanguis non est formaliter animatus neq; viuit: Consequentia declaratur, & deducitur ex medicorum consensu, & sententia, neq; apud medicos ista duo conuertuntur videlicet esse formaliter animatum, &esse propinquũ subiectum sanitatis, & ægritudinis: Hæc sententia confirmatur authoritate Aristotelis in principio de sensu, & sensato ubi habet; Neq; enim sanitatem neq; egritudinem possibile est fieri carẽtibus uita: ex quibus verbis apparet, quod sola animata formaliter sunt ægra, aut sana: & sic illa duo conuertuntur, & aquo unum illorum remouere, alterum quoq; remoueri ab eodẽ oportet: Quare quod sanum, aut ægrum esse nequit non est formaliter animatum.

Antecedens probatur authoritate Auicennę primo primi Capitulo de subiectis medicinæ, ubi enumerans sanitatis& ægritudinis propinqua subiecta mentionem facit de membris, &non de sanguine, neq; de aliis humoribus; & determinat, quod solum corpus, aut ipsius membra sana dicuntur, aut agra: sanguis uerò cæteriq; humores minime, quamuis dici possint grossi, aut subtiles, siue calidi, aut frigidi.

Secundo arguitur sic; Illud non est formaliter animatum

animatum cui nulla operatio propria corporis animati conuenire cognoſcitur, ſed ſanguis eſt huiuſmodi ergo &c. Maior perſuaderi poteſt ex Ariſtot. in 2. de anima dicente potentias diſtingui per actus, & conuenienter cognoſci: Animæ uerò eſsentia per potentias cognoſcitur, ergo ſi in ſanguine eſset formaliter anima cũ ſuis potentiis id ſane cognoſceretur per aliquem actum, ſeu per aliquam operationem ipſius ſoli animato corpori conuenientem: Minor probatur quoniam ſi ſanguini aliqua talis operatio conueniret hæc; potisſimum eſſet prima quæ dicitur Nutritio: modo conſtat quod ſanguis non nutritur: Patet hoc ex deſcriptione nutritionis: Nutritio enim eſt conuerſio nutrimenti ſuſcepti in poris partium ipſius nutriti, & alterari in ſubſtantiã nutriti quem quidem conuerſio fit à forma & uirtute nutriti.

Quo ſtante uidetur quod talis operatio quæ nutritio eſt non posſit ſanguini conuenire: ratio eſt quia dum ſanguis inſtauratur, illa inſtauratio non fit à uirtute ſanguinis, ſed magis à uirtute æpatis: neq; 2. fit ex aliquo alimento aſſumpto in partibus ſiue poroſitatibus ſanguinis: ſed inſtauratio ipſius magis fit per adhęſionem ſanguinis: ſed inſtauratio ipſius magis fit per adheſionem ſanguinis ad ſanguinem: ſicut aqua adherens, & coutinuata alteri aquæ ipſam reficit, &

D adauget.

adauget.

Terzo Arguo sic: si sanguis esset formaliter animatus, tunc sanguis esset actu viuens, consequens falsum ergo, & animas: consequentia patet quod omne quod est formaliter animatum est actu viuens, anima enim viuimus: falsitas consequentis probatur quia talē consequens, repugnat directe Aristoteli in 2. de anima, nam cum sanguis sit nutrimentum actu viuentis: vbi dicit Philosophus; His quidem qui sanguinem habent, sanguinis natura est nutrimentum: his uerò qui sanguinem non habent proportionale sanguini.

Quarto arguitur authoritate Aristot. in 3. de animalibus cap: 19. (si bene recordor) ubi dicitur; Omnis autem sanguis &c. & minimum habet tactum, seu sensum, sicut neq; superfluitas quæ est in uentre, neq; etiam cerebrum, neq; medulla: Idem asserit Albertus Magnus in de animalibus lib. 3. ubi sic ait; sanguis autē eoquod non est actu pars animati corporis, sed potentia solum non habet sensum tactus in aliquo loco corporis sed insensibilis est, sicut & superfluitas uentris non habet sensum aliquem. Neq; hoc mirabile uidetur quia, et ea quæ sunt actu partes corporis animati sentientis aliquando carent sensu tactus, sicut cerebrum, & medulla Quia autem venæ vbiq; capilariter sparguntur in corpore, ideo ubicunq; caro inciditur exit sanguis, nisi

caro

caro corrupta & pręmortua fuerit: Hæc ex alberto: Ex quibus locis, & uerbis tum Aristotelis, tum Alberti manifeste colligitur; quod sanguis non est actu pars animati corporis, sicut nec est actu uiuens, aut formaliter animatus, sed se habere uidetur ad ista ut uentris superfluitas: Hoc idem cõfirmatur authoritate Diui Thomæ parte prima. q. 119. artic. pen. ad tertiam ubi inquit: Sanguis non dum peruenit ad habendum perfecte naturam speciei, sed est in uia ad hoc: Ex quibus uerbis Thomæ patet sanguinem humanum non esse actu informatum natura speciei .i. forma humanæ speciei, quæ forma anima est, ergo secundum Thomam sanguis non est animatus formaliter. Legas Cardinalem Caietanum loco citato in fine illius articuli ubi citat scripta Thomæ in remictendo se ad ea quæ in præsenti non sunt apud me: Ibi duo dicit Cardinalis; Primum quod sanguis est animatus anima intellectiua, secundum tamen uim uegetatiuam: Secundum quod dicit est, quod licet ita sit tamen sanguis non pfecte habet animam, quia (inquit) datur latitudo. uideto ipsum qui alia dicit & loca quæ ab eo citantur.

Capreolus in secundo d. 15. q. prima. art. Terzo car. 192. col. 3. respondens ad argumenta dicit secundum Herueum quod sanguis non est actu pars animalis, uel hominis in actu nec infor-

matur anima, ideo dicitur quod forma hominis non est in sanguine, neq; forma sanguinis in homine, & conuenienter quod forma sanguinis, & forma hominis non stant simul in eodem, sed in diuersis: Idem ostenditur authoritate Lactantii in lib. de opificio hominis, vbi sic ait de sanguine: non enim si anima sanguine aut per vulnus effuso aut febrium calore consumpto uidetur extingui continuo, in materia sãguinis animæ ratio ponẽda est: veluti si ueniat ĩ quæstionẽ, lumẽ quo vtimur quid sit, & respondeatur esse oleum, quoniam illo consumpto lumen extinguitur, cum sint vtiq; diuersa: sed aliorum sit alterius alimentum: Videtur ergo anima similis esse lumini, quæ non ipsa sit sanguis, sed sanguinis humore alatur: Hactenus Lactantius: Tunc arguo sic: Ita se habet sanguis ad animam à qua alteratur, & conuertitur in naturam nutriti, aut ad ipsum corpus animatum, cuius est nutrimentum, sicut se habet oleum ad lumen, cuius nutrimentum est. Minor; sed oleum non est actu pars luminis, vt patet ergo neq; sanguis erit pars animæ siue animati corporis, cuius est nutrimentum: Tunc iterum arguo sic ad propositum: sicut oleum ad lumen, ita sanguis ad animam; sed oleum non informatur actu forma luminis quia tunc amplius non esset oleum, ergo neq; sanguis actu informatur forma corporis animati, quæ forma anima est ergo

 sanguis

ſanguis non eſt formaliter animatus, etiam neq; pars quomodocunq; ſumatur pars.

Pro Intelligentia, & notitia huius difficultatis videndum eſſet quid ſit ſanguis ſecundo quid ſit eſſe formaliter animatum: Secundum patet ex dictis & propoſitis argumentis, & manifeſtabitur quoq; ex dicendis perfectius: de primo dicant Medici.

In hac præſenti quæſtione duas inuenio opiniones diuerſas: Prima tenet quod ſanguis eſt formaliter animatus,& viuens, & ſumitur hæc opinio fundamentis, & rationibus illis adductis in principio pro parte affirmatiua: & conſequenter tenet hæc eadem opinio quod ſanguis eſt pars humani corporis quod abſurdum eſt,vt (Dei auxilio) dicemus alias: Et vt ſic dicentes diſſoluant rationes factas ſupra pro parte negatiua militantes contra ipſos, etiam & rationes alias, quæ fieri poſſent probando quod ſanguis non ſit pars hominis diſtinguunt de partibus corporis humani, dicentes,quod corpori humani partes ſunt duplices: quædam ſunt partes principales,& perfectę, vt membra: quædam verò ſunt imperfectæ, & minus principales: Tunc dicunt quod ſanguis non eſt pars hominis primo modo.i.perfecta,& principalis: ſed bene ſecundò modo .i. imperfecta & minus principalis: & conſequenter quod ſanguis eſt formaliter animatus quia ab anima pficitur

ficitur

ficitur licet non sentiat ut supra quoq; diximus de ossibus,

At ista solutio nulla est quoniam neq; Arist: neq; Alber: Mag: unquàm ausi sunt dicere sanguinem esse partem humani corporis, & tamen Albertus enumerauit omnes partes corporis perfectas, & principales imperfectas, & minus principales, & medias inter istas, & nunquàm fecit mentionem de sanguine: signum ergo est quod sanguis non est aliquo modo pars corporis: Hæc omnia declarabuntur à nobis in alia quæstione de sanguine An sit pars humani corporis, ibi apparebit manifestè falsitas prædictæ solutionis, & distinctionis, & ita patet prima opinio cum suis fundamentis.

Alia opinio est quæ sustinet, & asserit quod sanguis non est formaliter animatus nec viuens, & innititur hæc secunda opinio rationibus illis adductis supra in oppositum pro parte negatiua: & hæc opinio videtur verior & cõmunior: itaq; erit conclusio, & resolutio talis videlicet: Sãguis non est formaliter animatus, neq; formaliter viuens, & pro dissolutione rationum militantium contra hoc quædam prænotanda sunt. Primo: Anima corporis humani .i. quã corpus humanũ formaliter viuit, & animatum est influit ipsi san guini quamdam occultam, & latẽtem virtutem, qua mediante sanguis ipse sui præsentia conser-

uat

uat vitam in membris redditq; membra promptiora, & habiliora ad eorum officia exercenda: hinc est quod dici solet, scilicet in sanguine esse aliquod vitale, & cordiale, & quod per sanguinē maxime auima corpori vnitur, vt dicit glosa sup locum illum Leuitici adductum in quarto argumento quæ res sic debet intelligi, quod sanguis requiritur in corpore tanquàm dispositio quædā necessaria ad hoc, vt anima in ipso corpore tempore extenso conseruetur: & ob id sanguis vocatur vitalis, non quia sit formaliter animatus vel viuens: sed quia conseruat, & saluat in corpore vitam: Quo stante posset facile sustineri id problema videlicet. An sanguis sit animatus, & viuens: formaliter non est animatus, nec viuens vt ostensum est rationibus: At conseruatiuè est animatus, & viuens .i. conseruat & saluat in membris, & toto corpore vitam habet aliquid vitale in se, & reddit membra habiliora ad exercēdum officia sua: & vt res clarior fiat do exemplum satis sensatum Dici communiter solet quod cibus aliquis est sanus, nō quia habeat in se formaliter sanitatem, sed magis quia sanitatis est conseruatiuus, itaq; in cibo non existit sanitas formaliter, sed solum conseruatiuè: sanitas itaq; formaliter est in animale, quia animal formaliter dicitur sanum, vel egrum, indicatiuè est in Vrina, conseruatiuè in cibo, & dieta: effectiuè quodammodo

in

in Pharmaco, vel medicina: Ita similiter sanguis est tantum conseruatiuè viuens & animatur: & anima carnis est in sanguine, vt dicit scriptura, quia videlicet ratione sanguinis anima, & vita cõseruatur in carne.

Secundo notandum est ex Alexandro de Ales in summa sua parte secunda quod viuentia sunt in triplici discrimine: nam viuentium quædam dicuntur proprie viuere, quædam minus proprie, quædam verò valde impropriè.

Declaro singula: illa propriè viuunt quæ vniuntur animæ perficienti ea, veluti sunt corpora organica, iam ab ipsa anima actu perfecta, vnde dixit Philosophus Anima est actus corporis Physici, organici potentia vitam habentis.

Illa dicuntur minus propriè viuere, quæ coniunctione viuunt veluti sunt illa quæ animabus perficientibus non sunt coniuncta; sunt tamen coniuncta corpori habenti animam vt perfectionem: Hæc licet animam non habeant, habent tamen ratione illius coniunctionis cum corpore virtutem aliquam vitalem per quam habeat contigui vel continentis operationes consimiles rei proprie viuenti: & hoc modo embrio ante eius organizationem dicitur viuere: similiter vngues, capilli, pili, & poma arboribus coniuncta, & sic similiter de aliis fructibus terrę.

Tertio & postremo illa dicuntur viuere valdè

im̄ppriè, quæ non sunt aīæ vnita, neq; ex colligatione, vel coniunctione cum corpore viuente recipiunt aliquam virtutem vitalem intra se veluti suscipiunt viuentia secundo modo: sed ex illa colligatione cum corpore suscipiunt solum aliquam vegetationem: vnde sunt in dispositione ad vnionem cum corpore viuificato, & sunt sicut nutrimentum respectu vitalis virtutis, & isto modo viuere dicuntur spiritus, & humores, qui vitali virtuti deseruiunt, secundum quam quodammodo in corpore vegetantur, augentur, siue instaurantur: Dicet quis humores quomodo vegetantur vel nutriuntur in corpore?

Dico quod vegetantur vel nutriuntur, communiter loquendo, eo modo, s. quo dicimus aliquid vegetari in corpore, quatenus in corpore non putrescit neq; corrumpitur: & isto modo humores inter quos connumeratur sanguis viuere dicũtur: Viuere itaq; est in triplici gradu Proprie vt sunt habentia animum: Minus proprie vt habentia tantum virtutem vitalem: Valde improprie ut sunt non habentia animam, neque virtutem vitalem, sed tantum vegetationem quandam: Et sic ex hac optima distinctione patet quomodo concedi possit sanguinem esse animatum: & quo pacto satisfieri queat omnibus probantibus sanguinem viuere, & animatum esse.

Terzo principaliter notandum est quod ungues

pili& capilli corporis non sunt formaliter animata vel uiuentia : ratio est quia talia non dicuntur proprie sana, aut ægra, ideo non sunt formaliter uiuentia, ut supra deductum est, & consequenter dici posset quod non augumentantur uera augumentatione, sed solum ex continuatione, uel additione quadam alicuius partis superuenientis additæ seu cõtinuatæ ad partem præcedentem, quemadmodum aqua , & cætera liquida augeri dicuntur.

Ad uberiorem intelligentiam horum sciendũ est quod Natura ordinauit prædicta ad uarios, & diuersos fines: Capilli ad capitis custodiam ordinati sunt: Barba, & supercilia ad faciei uenustatem, & decorem : Palpebrę ut oculos à puluere & fumo custodiant. Pili Nasi, & aurium ordinati sunt ne quicquam nociuum aures , & nasum ingrediatur: Alii autem pili in reliquis corporis partibus ordinati sunt à Natura ad mundificãdum, & purgandum corpus à quibusdam fumosis uaporibus multiplicatis in corpore ex actione caloris in membris, & humoribus: qui quidem fumi si in corpore retinerentur causarent aliquid mali euidenter: quare ex actione adustiui, & fortis caloris tales fumi eleuantur, & peruenientes ad cutem eiusq; pores ingredientes cõgelantur à frigiditate cutis adiuuante quoq; frigiditate ambientis aeris, & sic uapores illi fumosi conuertũtur in

pilos ,

pilos, quorum causa effectiua instrumẽtalis principalis est ipse calor:

Vngues autem ordinauit Natura ad extremorum, & summitatum digitorum tutelam , etiam ut res subtiles melius capiantur, & duræ fortius teneantur, nec non ad quàmplures alias utilitates, ut patet in scabie laborantibus: fiunt, & generantur ungues ex materia grossiori, & magis terrestri quam pili fiant : quæ quidem materia ex actione caloris eleuatur, atq; transmictitur ad extremitates, uel summitates digitorum in quibus retenta congelatur, & induratur ab aere extinseco ambiente.

His declaratis superest ut argumentis satisfiat. Ad primum respondetur negando minorẽ quo ad illam partem de unguibus, pilis, & capillis, quia hæc non sunt formaliter animata, neq; uiuentia: Ad probationem dicitur quod non augẽtur uera augumentatione, ut patet ex 3. notabili in corpore questionis: Vbi habetur etiam quomodo concedi possit sanguinem animatum esse.

Ad secundum negatur animans: Ad probationes dicemus in alia quæstione.

Ad tertium respondetur quod locus ille scripturæ, & glosa similiter nõ sonant sanguinem formaliter uiuere, & animatum esse, sed sonãt quod in sanguine est aliquod uitale, & quod est animatus conseruatiue tantum non formaliter . Dices

modo ergo dicit scriptura quod anima carnis est in sanguine? Respondetur in hunc sensum quia .s. ratione sanguinis anima conseruatur in carne ut declaratum est in primo notabili. Vel 2. dici potest quod ideo dicit scriptura animam carnis esse in sanguine quia sanguis valde improprie viuens & animatus est ex tertio notabi li.

QVAESTIO SECVNDA.



QVAERITVR An sanguis sit pars hominis, siue humanæ naturæ: Arguitur quod sic pro parte affirmatiua: Primo sic authoritate Damasceni in secundo sententiarum vbi ait Omne corpus ex quatuor consistit elementis: animalium verò corpora ex quatuor humoribus, & in eadem resoluuntur ex quibus composita sunt: Tunc sic humores componunt corpora animalium, ergo sunt partes eorum, & potissimum sanguis, qui cæteris humoribus est principaliter, & perfectior, consequentia probatur quia componentia, & constituentia compositũ, vel corpus sunt partes illius, sicut materia, & forma sunt partes constituti ex ipsis.

Secundo Authoritate Diui Augustini in libro de spiritu, & anima vbi determinat corpus constare ex membris officialibus, officialia verò mē-

bra

bra ex similibus, similia autem ex cibis, cibos aũt ex elementis &c. ex his Augustini uerbis colligitur quod humores de quorum numero est sanguis sunt partes membrorum, siue partium similium humani corporis ergo &c.

Tertio arguitur iterum authoritate Damasceni in tertio ubi inquit. Verbum siue filius Dei accepit totam humanam naturam ut totam mundaret, & santificaret, ergo sanguis est pars corporis: consequentia ista deducitur sic Verbum debuit tanti beneficii memoriam dimictere, uel derelinquere in partibus principalibus Naturæ humanæ: sed dimisit eam in sanguine, iuxta illud, Hic est Calix sanguinis mei &c. & Quotiescuq; hoc feceritis in mei memoriam facietis, ergo sanguis est pars hominis.

Quarto authoritate Isidori in 13. lib. suarum ethimologiarum vbi sentire uidetur sanguinem esse partem hominis, & dicit Caro enim ex quatuor elementis compacta est, nam terra in carne est, aer in anelitu, humor in sanguine, ignis in calore uitali: subiungit; Habent enim elementa in nobis suam quæq; partem, ergo secundum Isidorum aer attractus, calor uitalis, & humor componunt corpus, & consequenter sunt partes.

Quinto authoritate cuiusdã Britonis, qui in lib. de proprietatibus rerum ait: Sanguis ex Grega Ethimologia nomen ducit, quod uegetat, sustentat,

ſtentat, & viuit &c. Tunc ſic ſanguis eſt viuens ergo eſt pars corporis.

Seſto arguunt Medici authoritate Auerrois in ſuo colliget putantes ſe demonſtrare : Dicit ibi Auerr. ſanguis eſt membrum corporis, ad hoc ſtatim ſequitur ſanguinem eſſe animatum, & conſequenti corporis partem.

Septimo ratione ſic : Omne illud dicitur eſſe pars alicuius, ſine quo id tale eſſe non poteſt, ſed homo eſſe non poteſt uel uiuere abſq; ſanguine, ergo ſanguis eſt pars hominis : Maio propoſitio ſumpta eſt in de generatione ſecundo Vbi dicit qualitates primas eſse de ſubſtantia elementorum, & ſic partes eorundem eſſentiales quia ſine eis elementa eſſe non poſſunt ex quo patet probatio maioris.
Minos probatur authoritate Ariſt: in 3. de animalibus cap. dicentis ſanguinem ſemper eſſe ĩ corpore quàm diu viuit, ergo videtur quod homo abſq; ſanguine non viuat.

Octauo ſic Spiritus vitalis concurrit ad entitatem hominis ergo ſanguis eſt corporis humani pars. Antecedens eſt verum ſecundũ medicos cõmuniter, conſequentia probatur, quia (vt medici dicunt) ſpiritus vitalis idem eſt, quod ſanguis vitalis quare ſi ſpiritus vitalis concurrit ad hominis entitatem ergo & ſanguis ergo pars.

Nono Anima in ſuis operationibus exercẽdis

magis vtitur sanguine, quàm aliquo alio, ergo sāguis maximè videtur pars corporis animans notum videtur ex cōmuni consensu philosophorū.

Decimo si sanguis non esset dicendus pars hominis propter aliud esse non potest, nisi ob id, quia.s.sanguis non viuit, neq; sentit: sed ista nō est sufficiens ratio huius ergo. &c. Insufficientia ista probatur quia Cerebrum non sentit, AEpar non sentit, Ossa non sentiunt, & consequenrer non sunt animata, neq; viuentia, & tamen dicimus quod sunt hominis partes, ergo, & de sanguine idem dici valet, ergo illa non erat sufficiēs ratio ad probādum sanguinem non esse partem.

Vndecimo Humidum radicale est pars humani corporis, ergo & sanguis, consequentia probatur quoniam humidum radicale fit, siue instauratur ex sanguine, ergo sanguis est pars humidi radicalis, & consequenter pars hominis.

Duodecimo sic: Omne illud quod ad omnem differentiam positionis mouetur est actu viuens, & animatum, sed sanguis mouetur ad omnem differentiam positionis, ergo est viuens, & animatus, & consequenter corporis pars: Maior probatur quoniam nihil mouetur secundum omnē differentiam positionis nisi ab anima ergo quod sic mouetur erit viuens, & animatum: Minor ꝓbatur quia sanguis est alimentum ex quo fit corporis nutritio uel augumentatio in omni parte

ipsius

ipsius corporis ergo mouetur ad oēm differētiam positionis, probatur consequentia quia aliter ex sanguine ipso fieri non posset nutritio in omni parte eius quod nutritur.

Decimotertio sic, Naturales describentes filium dicunt filius ille est qui de patris substantia generatur: Iidem describentes Patrem dicunt, Pater ille est, qui de sui substantia genuit sibi similem in specie: Tunc arguitur sic filius generatur ex semine Patris, ergo tale semen est de substātia Patris, & consequenter pars patris, ergo & similiter sanguis, probatur hęc ultima consequētia, quoniam semen tale est sanguis digestus in membris genitalibus, propter quam digestionem maiorem, vel decoctionem sanguis accepit alium colorem quàm prius haberet ergo &c.

Decimoquarto. Omne illud est pars hominis, & actu viuens, quod est de veritate hominis, sed sanguis est huiusmodi .i. de veritate humanæ naturæ ergo &c. Maior probatur ex Arist: secundo Metaph. dicente Vnumquodq; sicut se habet ad esse ita ad veritatem, ex qua propositione colligitur, quod cuiuslibet rei dispositio in veritate est eius dispositio in entitate: ergo omne quod est de hominis veritate est etiam & de eius entitate & consequēter pars: Minor probatur sic Sanguis est naturale quid sine quo homo viuere nequit, Anima quoq; sine sanguine non potest

rectè diffiniri ab Arist: in secundo de Anima videlicet Animam esse principium vegetandi sentiendi, & secundum locum mouendi: membra etiam deficiente sanguine deduci non possent ad quantitatem integram, completam, & perfectam necessario requisitam, vt possit homo operationes suas naturales exercere, & præsertim perfectissimam inter alias, quę est generare sibi simile ex secundo de Anima: hæc omnia sanguini conuenientia non possent ipsi conuenire, nisi sanguis ipse esset de veritate humanæ naturæ.

In oppositum pro parte negatiua arguitur. Et primo si sanguis esset pars hominis esset formaliter animatus, consequenter falsum ergo animas: falsitas consequentis patet ex præcedenti quæstione: consequentia probatur quia partes corporis animati, animatæ sunt: Ideo Albertus in primo de generatione postquàm enumerauit diuisionē partium humani corporis dixit quod omnes partes stant sub forma totius, innuens ex hoc, quod omnes partes corporis humani ab anima distinctæ sunt formaliter animatæ: modò sanguis cum non sit animatus formaliter vt probatum est supra, ergo consequenter non potest esse pars humanæ naturæ.

Secundo sic pænes doctrinam medicorum: si sanguis esset membrum aut de substantia membri aut corporis animati pars, tunç febris humo

ralis, vel ſinoca eſſet ethica: conſequenter videtur falſum quia directè contra communem ſententiam omnium medicorum: conſequentia deducitur, non vt medici peritisſimi dicunt, in febre ſinoca, ſiue humorali primum calefactum eſſe eſt in ſanguine, in ethica verò primum calefactum eſſe eſt in membro ſeu in ſubſtantia membri: quare ſi ſanguis eſſet membrum aut de membri ſubſtantia tunc illa febris cuius primum calefactum eſſe eſt in ſanguine eſſet ethica, & ſic eadem febris eſſet ſinoca, & ethica.

Tertio ſic omnis pars aut eſt materialis, aut formalis tantum, aut media: ſed ſanguis ſub nullo horum membrorum continetur, ergo non eſt pars: Maior eſt Alberti primo de generatione. Minor ſimiliter eſt ex ſententia eiuſdem Alberti qui ſanguinem non ponit eſſe aliquam prædictorum partium; immò in tertio de animalibus manifeſte aſſerit quod ſanguis nō eſt actu pars ſed ſolum potentia pars animati corporis ergo &c.

Quarto ſi ſanguis eſſet pars hominis, aut eſſet pars eſſentialis, aut integralis, nullum iſtorū eſt aſſerendum; ergo &c. Maior patet ex ſufficienti diuiſione: Minor probatur: non pars integralis, quoniam quælibet pars integralis eſt animata ſecundum Albertum ergo pars eſſe non poteſt integralis: Non eſſentialis quia id non eſt pars hominis

minis

minis essentialis, sine qua homo pro aliquo instāti, aut paruo tempore esse potest, sed homo potest sine sanguine esse pro aliquo instanti, aut ꝓ aliquo tempore paruo, ergo sanguis non est pars essentialis ipsius: Maior declaratur, quia partes essentiales ideo sic appellantur, quia totum sine illis neq; esse, neq; intelligi potest pro aliquo instanti, aut paruo tempore: Minor probatur acci piendo primum esse in quo embrio factus est caro, habens principalia, & spermatica membra completa, pro quo instanti anima intellectiua in ipsum inducitur illi vitam tribuens: Tunc enim in embrione non est sanguis: quod hunc in modum declaratur, quoniam sanguis in corpore nō generatur nisi æpate mediante, cum æpar secundum medicos sit omnium humorum principale membrum generatiuum:

Ad generationem autem sanguinis ab æpate faciendam necesse est vt æpar aliūde recipiat ma teriam proportionatam ad generationem ipsius sanguinis, quæ quidem non recipitur ab eo nisi post generationem ipsius hominis in sensato tēpore, ergo pro tempore illo corpus humanum permanebit animatum, & sine sanguine quod ꝓ bandum erat & sic patet illa minor.

At quis forte negabit necessarium esse quod æpar aliunde sit accepturus, & inquisiturus mate riam ad nutritionem membrorum, & generatio

nem ſanguinis: Dico quod hoc patet ex Ariſt. in lib: de ſomno, & vigilia in illis verbis cum dicit, Palam itaq; quod quoniam neceſſarium animali cum ſenſum habeat &c. uſq; ibi incluſiue & uadit ad principium &c.

Ex quibus uerbis Ariſtot. apparet quod alimẽtum quæritur ab extrinſeco quod etiam manifeſte apparet in opere ipſius naturæ quæ in generatione fœtus producit uenam amicabilem, quæ cum venis matricis colligatur, ut per eam æpar ad ſe trahat partem ſanguinis purioris menſtrui in venis matricis contenti, quatenus ex illo æpar generet ſanguinem, tunc primo membris omnibus conuenientem pro eorum nutrimento.

Quis forte contra dicta dubitabit dicẽdo corpus humanum ex Ariſtot. 5. de animalibus generatur ex ſanguine menſtruo, quomodo ergo humanum corpus poteſt eſſe ſine ſanguine: Reſpondetur concedendo authoritatem Ariſtot. & ultra dicitur quod ſanguis talis in corpore manens tranſit in aliam ſpeciem, quia tranſit & conuertitur in carnem, & in alia membra, & non manet ſub forma ſanguinis: Præterea ad Ariſtotelem, & ad omnes alios qui aſſerunt hominem non poſſe viuere ſine ſanguine reſpondetur quod hoc debet intelligi extenſo tempore, cũ quo tamen ſtat, quod homo eſſe, & uiuere poſſit

pro

pro aliquo inſtanti ſeu paruo tempore abſq; ſanguine (ut iam oſtenſum eſt:)

Quinto arguitur authoritate Diui Auguſtini in lib. de uera religione ubi dicit Alimenta carnis corrupta .i. formam amictentia migrant in mẽbrorum fabricam: igitur, cum alimentum hominis ſit ſanguis migrat uel conuertitur in mẽbra, & partes corporis, & cum idem in ſeipſum non conuertatur, ſed in aliud ſequitur quod ſanguis non ſit membrum, neq; pars hominis.

Sexto arguitur authoritate quadã Eccleſiæ quæ habetur extra de celebratione miſſarũ cap. In quadam. vbi hæc uerba habentur Ad compoſitionem humani corporis quatuor elementa cõcurrũt: & ad uegetationem eiuſdem quatuor humores illis conſimiles conueniunt uidelicet. Sanguis, cholera, Flegma, Melancolia &c. Ex quibus uerbis apparet differentia inter elementa, & humores, nam elementa componunt, humores uerò uegetant, ergo humores, inter quos ſanguis eſt non ſunt partes hominis, quia non componunt corpus quod tamen eſt neceſſariũ ad hoc, ut aliquid ſit pars alicuius.

Septimo arguitur authoritate Cardinalis Caietani, & Diui Thomæ: Cardinalis in tertia parte ſummæ. q. quinta: ar. ſecundo quęrit An Sanguis in Chriſto fuerit Diuinitati vnitus, et ait quod ratio. huius dubii pendet ex philoſophia ſecundo

dicit

dicit quod ſanguis non eſt pars corporis humani,& probat hoc quod ſanguis eſt alimentum corporis,ideo non eſt actu ſed potentia corpus, quod per ſanguinē alitur,& nutritur: patet quia ſanguis eſt alimentum decoctum conuertendũ, & non conuerſum in membra:Confirmat id authoritate Ariſtot. ſecundo de animalibus:Authoritate Diui Thomæ in tertia parte q.31.arti.quinto ad primum, vbi Sanctus Thomas ponens differentiam inter oſſa & carnes ex una parte, & inter ſanguinem ex alia parte dicit quod caro,& oſſa ſunt actu partes corporis humani,ſanguis autem non eſt actu pars, ſed eſt potentia tantum:

Hinc eſt quod caro, & oſsa non poſsunt ſine diminutione,& corruptione corporis auferri, at ſanguis ſine corruptione comunicatur. Amplius addimus nos alia loca Diui Thomæ ex quibus facile colligitur ſanguinem non eſse partem:

Thomas parte prima q. 76 art. 8. inquit quia anima eſt forma corporis, oportet ut ſit tota in toto, & in qualibet parte tota: ex quo habetur quod quælibet pars humani corporis formaliter animata eſt,modo cum ſanguis non ſit formaliter animatus, ſequitur quod non ſit pars humani corporis.

Præterea Diuus Thomas in ſecundo ſentent. diſt.30.habet iſta uerba Nutrimentum in principio eſt disſimile nutrito, ſed in fine eſt ſimile,

cum

cum nihil nisi suo simili nutriatur, & foueatur: si ergo qui est hominis alimentum in principio est nutrito dissimilis, certum est quod non est particeps eiusdem nam illa sunt similia quæ eamdem formam communicant, & participant: modo cum forma nutriti sit anima, sequitur secundum Thomam quod sanguis non sit formaliter animatus & cõsequenter neq; corporis pars: Amplius Sanctus Thomas in primo de generatione secundum philosophum inquit Nihil nutrit carnem nisi quod est potẽtia caro, sed omne quod est potẽtia aliquid mutatur in illud per actionem eius, ergo nutrimẽtum uel sanguis conuertitur in carnem, ergo non est pars corporis, uel carnis.

Octauo arguitur authoritate Scoti in quarto distinct. 8. Vbi dicit Corpus Christi potest accipi stricte, prout. s. includit partes animatas anima Christi, cuiusmodi non est sanguis licet sit in potentia propinqua, ut conuertatur in carnem animatam, & sic corpus essentialiter est aliud à sanguine:

Alio modo potest accipi corpus prout includit omnia illa, quæ pertinent ad totũ corpus organicum, siue sint partes animatæ, siue sint aliquã non formaliter animata, ut humores, & spiritus, & isto modo sanguis est aliquid corporis: hæc Scotus: ex quo loco apparet quomodo sanguis

ſit pars, & quomodo non.

In hac materia ſicut & in præcedenti ſunt duę opiniones, Vna quæ partem tuetur affirmatiuā, & innititur rationibus adductis in principio quæſtionis etiam & diſtinctioni quàm dedimus in principio quæſiti alterius quæſtionis de duplici parte perfecta, & imperfecta ſiue principali, & minus principale, aſſerēdo, quod ſanguis eſt pars imperfecta, & minus principalis corporis humani, vide ibi.

Secundo pro iſta opinione ſi quis ſuſtinere vellet ſanguinem aliquo modo partem eſſe corporis, vtatur diſtinctione illa de corpore, quam aſſignauimus de mente Scoti in octauo, & vltimo argumento in oppoſitum.

Tertio pro hac eadem opinione asſignari etiā poteſt diſtinctio Thomæ, & Cardinalis: & ex pręfictis omnibus tribus diſtinctionibus poterit ſuſtineri problema quod ſanguis eſt pars, & non eſt pars corporis: Diſtinctio Thomæ habetur in quarto diſtinct: 44. q. prima quam accepit etiam Cardinalis in 3. parte q. 5. art. ſecundo Dicunt iſti quod partes humani corporis ſunt duplices: quædam ſunt actu partes, ſic, quod intranſmutabiles ſunt in alias partes, vt carnes, oſſa, nerui, ſimiliter, & membra ut manus, pedes, caput, &c. Quædam verò ſunt actu partes, ſic, quod ſunt impotentia ad alias partes, veluti ſunt humores ex

quibus

quibus ſumus inter quos eſt ſanguis: Vnde quia huiuſmodi partes habẽt aliquo modo rationem partis in actu; & aliquo modo partis in potentia diuerſimode de eis dicendum eſt: nam quatenus ſunt partes in actu corpus noſtrum componitur ex eis, & conſequenter ex ſanguine vt in ſecundo de partibus animalium teſtatur Philoſophus: quatenus verò ſunt in potentia ad alias partes, tũc ſanguis nutrimentum, & alimẽtum corporis eſt: Ex hoc reſpondent ad rationem ſeptimam in oppoſitum qua probatur quod ſanguis nõ eſt pars, & dicunt quod ſanguis eſt alimentum corporis, ſed non tantum quia eſt ita alimentum vt extra ſit ſecundum ſe pars corporis: Dices ſi ſanguis eſſet actu pars corporis non poſſet auferri ſine corruptione, & diminutione corporis, vt dicebat ſupra in argumento ſeptimo in oppoſitum de mente Diui Thomæ: R. Cardinalis quod hoc verum eſt de parte totaliter in actu, non autem de parte partim in actu & partim in potentia cuiuſmodi eſt ſanguis: & ita patet quomodo sãguis ſit pars, & quomodo corpus componatur ex eo: Eſt enim ſanguis pars corporis imperfecta, & minus principalis vt dicit prima diſtinctio.

Secundo eſt pars corporis ſumẽdo corpus large, vt dicit ſecunda diſtinctio Scoti.

Tertio eſt pars corporis ſumendo partem in actu, & in potentia, vt dicunt Cardinalis, & Tho-

mas, & quatenus est actu pars, corpus componitur ex eo.

Est alius modus dicendi quo quis facile tueri posset, sanguinem esse, & non esse partem hominis, siue humanę naturæ: Quare notanda est distinctio quædam quadrimembris cuius tria mẽbra colliguntur ex Bonauentura in quarto Senten. Aliud membrum colligitur ex Durando similiter in quarto.

Distinctio est talis Aliquid esse de veritate integritate, & parte hominis quatuor contingit.

Primo vt sit pars essentialis hominis necessario requisita sine qua homo esse non potest, vt materia, & forma respectu hominis, & cuiuslibet compositi.

Secũdo vt sit pars integralis humanæ naturæ, Partes integrantes requiruntur ad esse hominis sine quibus tamen homo esse posset, vt caput, manus, pedes, brachia, & similia membra, quibus homo quandoq; caret: plures enim homines videmus sine manibus, & sine pedibus: Ratio huius est quia tales partes integrales non solum includunt id, quod ad hominis essentiam attinet, sed etiam includunt aliquid additum .i. quantitatem talem, vel talem figuram:

Hæ partes essentiales scilicet & integrales intrĩsecæ sunt quia intrinsece pertinent ad integritatẽ animalis; & inter has essentiales partes magis intrinsice

trinsice attinent.

Tertio aliquid potest dici pars hominis non quidem intrinsecè sed pure extrinsecè sine quo, vel sine quibus natura secundum communē cursum eius saluari non posset, nisi tales partes adiūgerentur, veluti sunt humores, cholera, flegma, melancolia, sanguis.

Quarto aliquid dicitur pars hominis quātum ad decorem, venustatem, ornatum, vel pulcritudinem eius: & sic omne quod attinet ad decorem hominis potest dici pars hominis, quemadmodum sunt hæc, barba, vngues, & capilli.

Erit ergo distinctio talis aliquid dici pars hominis, respōdetur, contingit intrinsicè & extrinsicè: intrīsicè, respōdetur, vel vt pars essentialis, vel integralis: Extrinsecè similiter, respōdetur, vel vt quoddam necessario concomitans, vel quantum ad decorem: sanguis, & alij humores sunt partes hominis non intrinsece, sed pure extrinsece, primo modo. Et ita non oportet vt sanguis sit formaliter animatus cum non sit pars primo neq; secundo modo.

Contra hanc vltimam determinationem instari potest argumento quodam Theologico probando quod sanguis sit pars hominis primo vel secundo modo: argumentum tale est: Idest pars hominis primo vel secundo modo quod à Christo in cena dum Sacramentum Eucaristiæ

institueret, similiter cum corpore consacratum, & dignificatum est: sanguis est huiusmodi ergo &c. Minor probatur quia in tali institutione sacramenti sicut corpus Christi fuit consacratum, & consequenter dignificatum, quando dixit, Hoc est Corpus meum, ita similiter etiam sanguis consacratum, & dignificatum fuit, quando dixit, Hic est calix sanguinis mei: Maior probatur quia iuxta sententiam Aristot. Actus actiuorum sunt in patiente bene disposito, ergo cum corpus, & sanguis eādem acceperint dignitatem à Christo uidetur consequenter quod fuerint equaliter disposita: si sic, ergo si corpus est pars humanæ naturæ primo modo, & sanguis similiter.

Respondetur negando maiorem, ad probationē negatur ultima cōsequentia, quia admisso, quod corpus & sanguis fuerint equaliter disposita quantum ad recipiendam illam dignitatem, non tamen quantum ad hoc quod est esse partē humanæ naturæ.

Secundo respondetur quòd si ratio ista bona, & ualida esset tunc per idem medium probari etiam posset quod panis, & uinum sunt eiusdem naturæ & speciei, quia in Eucharistiæ institutione ambo dignificata fuerunt, nam panis transsubstantiatus fuit in corpus Christi, & uinum in sanguinem: Amplius sequeretur ex eodem medio

quod

quod corpus Christi, & sanguis ipsius eiusdem essent complexionis, & naturę, quia similiter consecrata, & consequenter dignificata fuerunt.

Tertio respondetur, & pro intelligentia huius tertiæ solutionis notatur; In sacramento Eucharistiæ multa fuerunt consecrata, & nunc consecrari dicuntur, diuersimode tamen: Primo panis, & vinum quorum consecratio nil aliud est quam transubstantiatio eorum in rem sacram Panis .n. in Corpus Christi & uinum in sanguinem transsubstantiatur, & conuertitur: Secundo panis, & vini species consecrari quoq; dicuntur, quæ cōsecratio nil aliud est, quàm effici signum rei Sacræ: Tertio consecratur Christi corpus, & eius sanguis similiter, ut comuniter dici solet, quæ cō secratio nil aliud est, quàm Christum in tali sacramento suscipere quemdāmodum specialem santificandi animas nostras: Christus ergo Deus, & homo seruandum sui esse sacramentale dignè sumptus sanctificat animā sumentis dignè. Quādo igitur corpus Christi consecratur, similiter & sanguis Christus totus consecratur .i. secundum tale esse sacramensale suscipit modum quendam specialem sanctificandi animas nostras: Id circo Christus cum dixit Hoc est corpus meum, quamuisquod, ly, hoc corpus suum consecratū demonstrauerit, sicut & consecrauit: Vltima &c. tamen & complete se totum demonstrauit, similiter de

sanguine

ſanguine dicendum eſt.

Hoc ſtante ad argumentũ dicitur quod illa quæ in ſacramento Eucariſtiæ poſtremo fuerũt conſecrata, & dignificata fuerunt, & ſunt eiuſdẽ naturæ, immo ſunt unum, & idem omnino, quia id fuit & eſt ipſe totus Chriſtus: & iſto modo uerificari poteſt authoritas illa Ariſtot. Actus actiuorum &c. quia ad hoc ut uerificetur ſufficit quod principale, & ultimum patiens, ſiue ſe habens ad modum patientis ſit equaliter diſpoſitũ, & eiuſdem naturæ: Et ideo non requiritur quod illa quæ primo quaſi uia generationis dignificata fuerunt, ut corpus, & ſanguis ſint eiuſdem naturæ ſimilia, & æquè diſpoſita quo ad omnia. Altera opinio negatiua fuit ſuſtinens ſanguinem hominis partem non eſſe, quæ innititur omnibus rationibus in oppoſitum ſupra formatis: Vnde pro diſſolutione aliarum rationum pro parte affirmatiua, militantium contra hanc opinionẽ plurima notanda ſunt. Et primo Albertus in primo de generatione diſtinguens, & diuidens partes ex quibus homo componitur ait; Partes hominis ſunt in multiplici diſcrimine, quoniá quædam ſunt partes hominis formales tantum: quædam materiales tantum: aliæ uero mediæ ſunt inter formales, & materiales:

Partes formales tãtum (inquit) ſunt partes eterogeneæ. i. diſſimilaria membra, & hæ partes appellantur

pellantur organa, ſiue organicæ partes, ueluti sũt Caput, manus, pedes, oculus, cor, ępar, & huiuſmodi, quę ordinatæ ſunt ab ipſa natura ad exercendam operationem alicuius potentiæ ipſius animæ:

Partes materiales tantum ſunt partes, quæ debiliter reſpiciunt formam, ueluti ſunt partes, quæ humanę uitæ actum, ſiue ſenſum tantum participant, & ad nullum officium exercendum ordinatæ ſunt, vt caro, adeps, & uerſa pinguedo.

Partes mediæ ſunt in triplici differẽtia aliquæ ſunt propinquiores partibus formalibus: aliquæ propinquiores materialibus aliquæ uerò mixtę ex utriſq; .

Partes formalibus propinquiores ſunt partes aliquæ homogeneæ uel ſimiles ordinatæ principaliter ad quoſdam actus animæ exercendos, puta ad iſtos actus .s. ſenſificare, mouere uiuificare, nutrire quemadmodum eſt neruus, à quo diffũditur ſenſus, & motus per totum corpus à cerebro, uel a ſuo uicario qui eſt nuca: & quemadmodum ſunt uenæ per quas diffunditur ſanguis ab ępate: & arteriæ per quas ſpiritus uitalis diffũditur à corde: & panniculi, quibus membra principalia inuoluuntur: Mediæ partes ſunt in duplici differentia; quædam ſunt mediæ propinquiores materialibus tantum vt os, & cartilago, quæ ordinata ſunt ad fortificanda, & ſuſtentanda

mem-

membra.

Aliæ ſunt mediæ quaſi per æquidiſtantiam, quia mixtæ ſunt ex materialibus, & ex propinquioribus partibus formalibus veluti muſculi qui componuntur ex neruis cordis atq; carne.

Partes quæ non debiliter formam reſpiciunt ſunt animæ propinquiores: quæ verò debiliter formam reſpiciunt ab anima remotiones cenſendæ ſunt.

Hac ſtante diſtinctione Alberti patet expreſſe ſecundum ſententiam ipſius quod ſanguis non eſt aliquo modo pars corporis humani, quia enumerans partes omnes corporis videlicet.

Materiales, formales, & medias nunquàm enumerauit ſanguinem ergo ſignum eſt quod nō eſt pars hominis: Imò quod Ariſt: quoq; in tertio de Animalibus determinauit ſanguinem non eſſe actu partem animati corporis cumq; ventris ſuperfluitati aſſimilauit.

Secundo notandum foret Nunquid oſſa ſentiant, & quomodo generetur ſanguis: De primo alias; tantum in præſentia dicam quod Alexāder in ſua parafraſi de anima cap. vltimo aſſerit oſſa non ſentire, dicit.n. cor eſt maxime ſanguinoſū, & ideo maxime ſenſuale, & ideo oſſa, capilli, & vngues quia exanguia ſunt non ſentiūt, ſed alias de hoc.

De ſecundo .i. de origine ſanguinis Vide Zimaram

maram in tabula ſua in dictione (Cor) car. 48.
Tertio notandum Compoſitio bifariam ſumi poteſt Proprie, & improprie, ſiue vt aliis vtamur vocibus largè, & ſtricte : Compoſitio ſtricte, vel proprie ſumpta eſt in ijs quorum vnum ſe habet vt actus, alterum vt potentia, vnum ſe habet vt perficiens vel informans, alterum vt perfectibile, & informatum, qualis eſt compoſitio ex materia, & forma : Cómpoſitio verò improprie vel largè .i. lato, & extenſo uocabulo acepta eſt ratione numeri .i. quando aliqua duo ſimul in vno aliquo conueniunt: & ſic omne illud in quo duo conueniunt poteſt quodammodo dici compoſitum ex illis ueluti hypoſtaſis uel perſona Chriſti poteſt dici compoſita ex naturis diuina .ſ. & humana: quæ quidem compoſitio non eſt ratione partium quia ſic eſſet compoſitio propria etiam quia ratio partis repugnat diuinitati, & quodammodo humanitati: ſed eſt compoſitio ratione numeri non quia perſona Chriſti ſit ex numeris cõpoſita, ſed in hunc ſenſum uidelicet quia illæ naturæ habent rationem duorum conuenientium in unum, & non habent rationem partium: & talis ratio duorum in unum conuenientium Diuinitati non repugnant ut S. Thomas, & Cardinalis aſſerunt par. 3. q. 2. ar. quarto ad ſecundum ẽt ar. quinto ad ſecundum Sic in propoſito dicitur quòd humores non componunt corpora anima

lium ut partes.i.propriè & strictè, sed largè com ponunt uidelicet ratione numeri quia solum cõueniunt simul, uel consistunt in corporibus animalium tamquàm quædam facientia ad eorum integritatem, uel uegetationem.

Isto modo.s.largè cõpositionem accipit quandoq; Damascenus, & presertim in tertio cum dicit in Christo duas naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utrisq; compositam, ubi non est dicendum quod Damascenus acceperit compositionem propriè, & strictè, cum natura Diuina propter suam summam simplicitaté non possit esse pars, accepit igitur compositionem largè quæ est ratione numeri secundum Thomã: Ita dè humoribus sanguine dicendum est.

Ad uberiorem doctrinã eorum quæ diximus sciendum quoq; est ex Beato Thoma parte prima q.3.ar.7.& ex Cardinali parte 3.q.2.ar.4.qđ compositio est multiplex: Alia est ex partibus quantitatiuis ueluti sunt corpora alia ex materia & forma, ut compositum, alia ex natura & supposito, alia ex essentia & esse, alia ex genere & differentia, alia ex subiecto, & accidente: Quælibet istarum componũt imperfectionem dicit Vnde si à compositione ex natura & supposito auferatur id quod imperfectionis est ex parte suppositi tunc saluari poterit compositio in persona Christi ex natura humana, & supposito quia talis modus com-

dus compositionis conuenit personæ Christi secundum rationem personæ in quantum.s. persona Christi subsistit in natura humana: Præterea sciendum ex Cardinali Caietano par.prima.q.3. ar.8.quod aliquid venire in compositionem alicuius quatuor exigit conditiones Prima vt componibilia sint distincta realiter, quia eiusdem ad se ipsum non est compositio: Secunda coniunctio realis cum illo, quia ex sola coniunctione secundum rationem non fit compositio: Tertia quod cōiunctio sit secundum suum esse, quia ex sola coniunctione reali secundum situm, vel aliū respectum extrinsecum non fit compositio requiritur ergo coniunctio realis intrinseca: Quarta quod alterum sit actus alterius, vel alicuius tertij actuati ab vtroq; si sit compositio per accidens, qualis est inter album, & dulce: vnde si aliqua coniungantur secundum esse, & nō in ratione actus & potentiæ nunquàm est compositio ideo in personis Diuinis, & in Verbo Diuino Incarnato non potest esse cōpositio, quia in huiusmodi deest ratio actus, & potentiæ.

Quarto notandum Aliquid ex alio fieri bifariā contingit: Primo ex aliquo tanquàm ex materia permanente, vt homo ex carne, neruis, & ossibus. Secundo ex aliquo tanquàm ex materia transeunte, sic dicimus sanguinem fieri ex chilo, siue ex cibis commestis, nam tales cibi sub pro-

pria forma non manent in ſanguine: vnde Diuus Auguſtinus in authoritate illa adducta in ſecundo argumēto prīcipali accipit fieri ex alio utroq; modo, cum dicit corpus conſtare ex membris officialibus, officialia ex ſimilibus: accipit, ly, fieri ex alio primo modo: iam uerò dicit membra ſimilia fieri uel conſtare ex humoribus & humores ex cibis accipit, ly, fieri ex alio ſecundo modo .i. tanquam ex materia tranſeunte, ideo non ſequitur poſtea quod humores ſint actu partes corporis humani, ſicut neq; cibi partes humorum cum tranſeant, & conuertantur in aliud.

Quinto notandum eſt iſta propoſitio adducta in 7. argumento uidelicet omne illud dicitur eſſe pars alicuius, ſine quo id tale eſſe non poteſt: iſta propoſitio non eſt uniuerſaliter uera, & declaratur exemplo quoniam licet totum non poſſit eſſe ſine ſuis partibus eſſentialibus, non tamē ſequitur omne id ſine quo totum eſſe non valet eſſe partem eius eſſentialem itaq; valet iſta conſequentia, hoc eſt pars eſſentialis alicuius totius, ergo totum ſine eo eſſe non poteſt: Iſta uero è cōuerſo non valet uidelicet. ſine hoc totum eſſe nequit, ergo hoc eſt pars eſſentialis illius totius, ratio eſt quia comittitur fallacia conſequentis: ac ſi quis argueret: hoc eſt animal ergo homo, non valet quia arguitur à ſuperiori, ſiue à magis amplo ad ſuum inferius, & minus amplum affirmatiue,

tiue,& sine distributione: Secundo declaratur, quomodo illa maior nõ est uniuersaliter uera, nã homo esse non potest sine unione animæ ad corpus: etiam homo esse non potest sine risibilitate, & suis propriis passionibus & tamen non est inferendum ergo unio illa animæ ad corpus vel risibilitas, & passio sunt partes hominis, quia hoc admisso sequeretur quod respectus, uel accidens esset pars essẽtialis rei absolutæ, & substantiæ quod est contra Philosophum secundo Phy. & secundo de anima tex.q.2. dicentem ex non substantiis non fieri substantiam.

Secundo principaliter dici potest declarando illam maiorem quod potest bifariam intelligi: Vno modo quod illud sine quo aliquid esse non potest sit pars essentialis.i. de essentia illius totius secũdo quod sit pars essentialis.i. essentiale quodda ipsi toto necessario concomitans, & cõsequẽs naturam illius totius: sic passio est quoddam essentiale suo subbiecto quia necessario concomitatur naturã illius subiecti est inseparabilis à subiecto, & sine ea subiectum esse non potest, non tamen est de essentia quia non ponitur in diffinitione subiecti ita primæ qualitates sunt essentiales elementis non tamen de essentia elementorũ: Ita dici potest de sanguine, quod .s. est essentiale quoddam corpori humano, non tamen est de essentia eius: & iste modus dicendi est scotistarum

distin-

distinguentium inter ista duo videlicet esse de essentia alicuius & esse essentiale alicui, stat .n. seruandum sine primo vt alias notauimus: At quis instare poterit argumento Alexandri Afrodiensis, qui sustinens, & probans qualitates esse formas substantiales in elementis sic arguebat, Ignis destruitur ad destructionem caliditatis ergo caliditas est forma subtilis ignis sicut ad destructionem rõnalis destruitur homo: sic in proposito ad ablationem totalem & destructionem sanguinis perit animal ergo sanguis est de substantia & de essentia aĩalis, & non tantum essentiale quoddã: Auerr: 8. Metaph: q. 5. ingeniosè dissoluit argumentum Allexandri, & dicit Aliquid corrumpitur ad corruptionem alterius, vel quia illud est ei essentiale. i. de essentia, & substantia eius (secundũ Auerr.) vel quia necessario consequitur, & concomitatur ipsum vt corrũpitur risibile, ergo homo, non quia risibile sit de essentia hominis, sed quia necessario concomitatur hominis naturam: ẽt destructis accidentibus destruitur substantia, non quia sint formæ substãtiales substantiæ, sed quia consequuntur illam necessario: sic dicit Auerr: cõtra Alex. corrumpitur ignis ad corruptionem caliditatis non quia caliditas sit forma substantialis ignis, sed quia consequitur necessario naturam ignis: Diceret Scotista quod ignis corrumpitur ad corruptionem caliditatis, nõ ob id quia caliditas

sit de

ſit de eſſentia ignis, ſed quia eſt eſſentiali ipſi .i. quoddam concomitans neceſſario ipſum.

Præterea ad illam authoritatem Ariſt: in ſecundo de generatione aductam ad aduerſario in 7. arg. dicitur quod per illum locum Ariſt: non voluit primas qualitates eſſe formas ſubſtantiales vel partes eſſentiales elementorum, ſed uoluit, & intellexit quod neceſſario concomitantur elemētorum ſubſtantiam: De hac materia: An. s. qualitates primæ ſint ſubſtantia in elementis, Alex. Afrodiſeus ſuſtinet partem affirmatiuam: Auerr. Scotiſtæ, & Zimara negatiuam: Vide Zimaram in tabula ſua in dictione Subſtantia, car. 228. & expoſitores in de generatione.

Sexto notādum eſt pro diſſolutione xiij. Argumenti cum dicimus filium generari de ſubſtantia patris poteſt multifariam intelligi. Primo de ſemine patris ſic, quod illud ex quo filius generatur puta ſemen fuit ſubſtantia quædā patris cōiuncta ipſi patri, uel ſubſtantiæ patris: & non fuit diſtans.i. extrinſecum & loco ſeparatum à patre: Ad hoc non ſequitur poſtea tale ſemen eſſe uel fuiſſe actu viuens, aut pars actualis conſtitutiua patris quia tantum conſequitur patrem, & coniungitur ipſi ſicut dicimus etiam de qualitatibus elementorum, quæ dicuntur de ſubſtantia illorum, non quia ſint partes, ſed ſolum quia ſubſtantias, & naturas eorum concomitantur illiſq;

coniun-

coniunguntur.

Secundo intelligi potest conseruatiue sic, Pater de sui substantia generat filium, quia generat illum de aliqua parte quæ est, uel erat conseruatiua suę substantiæ, puta de semine, quia semen dicitur esse superfluum alimenti, & sic fuit quandoq; pars patris puta sanguinis nutrimentalis, quod sanè alimentum necessarium est ad conseruandā substantiam ipsius nutriti: & ita non sequitur quod sit de eius intrinseca substantia.

Tertio potest intelligi de cōuersione sic, quod sanguis nutrimentalis cuius pars fuit semen, est in potentia propinqua vt conuertatur in substantiam patris, & ob id dicitur substantia patris, & patrem generare filium de sui substantia.i. de semine, quod fuit pars sanguinis conuertendi de proximo in substantiam patris.

Quarto potest intelligi de principio formali sic Pater de sui substantia generat filium, ly, de, notat principium formale uel quo pater filium generat, tale principium est substantia patris cū quo stat quod neq; sanguis, neq; semen paternū sit de intrinseca substātia patris: Et ita patet quomodo sit intelligenda descriptio illa patris superius adducta.

Ad Argumenta. Ad primum respondetur quod Damascenus ibi accepit cōpositionē largè, & improprie, & nō stricte (ut patet in tertio notādo.)

Ad se-

Ad secũdũ respondetur, ꝙ Beatus Augustinus accepit, ly, fieri uel constare ex alio non quidem ut ex materia permanente, sed transeunte, ex quo nõ sequitur postea humores ẽẽ partes actu corporis, neq; cibos partes humorũ ex quarto notãdo.

Ad tertiũ respondetur quod ista ratio non cõcludit sanguinem esse hominis partem, sed solũ qđ talis memoria debuit relinqui in partibus principalibus hoĩs: quod concedimus factũ fuisse, cũ in sacramento altaris totus Christus contineatur, animam habens, & corpus cũ aliis coassumptis.

Et cum hoc stat quod Xp̃us dimiserit hãc memoriam in aliquo quod non erat pars corporis, puta in sanguine, quia in sanguine tamquàm in conseruante Christi vitam consistebat: quæ quidem vita fuit prætium principale humanæ redẽptionis: Vnde breuiter dici posset quod talis memoria derelicta fuit in sanguine, nõ quia sit pars actualis corporis, sed propter excellentiam suam, quia.s.conseruat vitam in corpore.

Ad quartum respondetur quod Isydorus accepit compositionẽ largè non strictè ex 3. notãdo.

Ad quintum respondetur quod ideo vegetat, viuit, & sustentat, quia est corporis alimẽtum, & sui præsentia vitam in membris conseruat vnde cũ dicitur quod viuit, debet intelligi in potentia propinqua: Vel intelligendum ꝙ uiuit non quidẽ actu, sed uirtualiter, quia dispositiue est causa

I uitæ:

uitæ: Vt ſol dicitur calidus, quia eſt cauſatiuus ca loris, & non quia ſit formaliter calidus ſecũdum multos: Vel tertio intelligi debet quod ſanguis uiuit ualde improprie iuxta diſtinctionem illam asſignatam de uiuẽtibus, qđ ſunt in triplici diſcri mine pænes ſententiam Alex. de Ales(ut declara tum eſt in quæſtione illa) An ſanguis ſit formali ter animatus in corpore quæſt. ſecundo notãdo.

Ad ſextum reſpondetur qđ Auerr. intellexit ſanguinem eſſe membrum non quidẽ actu quia contradiceret præceptori ſuo Ariſt: ſed intellexit, quod eſt membrum in potentia propinqua.

Ad ſeptimum reſpondetur primo negando maiorem, & ratio negationis habetur ex dictis ſu pra in quinto notando.

Secundo reſpõdetur gloſando eamdem maio rem uidelicet quod ſanguis eſt pars eſſẽtialis cor poris humani. i. eſſentiale quoddam concomitãs, & conſequens neceſſariò naturam hoĩs inſepara biliter, totaliter, & non ſequitur poſtea, quod ſit de ſubſtantia, uel de eſſentia. i. pars eſſentialis cor poris, ut ibidem declaratum eſt: Ad authoritatẽ Ariſt: ſecundo de generatione de qualitatibus ele mentorum patet quid ſit dicendũ ex 5. notãdo.

Ad octauum negatur conſequentia; & ad me dicos dicimus quod uitalis ſpiritus concurrit ad hominis entitatem non quidem conſtitutiue, ſed conſeruatiue tantum ad quod non ſequitur pò-

ſtea

ftea ſanguinem eſſe partem.

Ad nonum negatur conſequentia, & ratio negationis eſt quia licet aĩa in ſuis operationib⁹ exercendis utatur ſanguine tanquàm extrinſeco alimento, non tamen utitur illo tamquàm organo ſiue inſtruméto intrinſeco, quia ſic eſſet pars hoĩs ut primo modo non oportet ut ſit pars.

Ad decimum reſpondetur, quod licet Cerebrum, æpar, & oſſa nõ ſentiant ſunt tamen aĩata, & actu uiuentia, quia nutriuntur, augentur, & sũt ſana, aut ægra non tamen ſentiunt pp defectum, uel carentiam organi ſenſitiui: bene uerum eſt quod de æpate fortaſſe dici poſſet ſecũdum non nullos qđ ſentit, ſaltem quantum ad aliquas ſũi partes neruoſas: At ſanguis quia proprie non nutritur, non augetur, neq; dicitur ſanus aut æger non ſentit, non eſt actu uiuens, aut formaliter animatus, uel pars humani corporis, ut dictum eſt in quęſtione propria de hoc in corpore quæſtionis tertio natando.

Ad Vndecimum dicitur negando conſequentiam: Ad probationem negatur argumentũ iſtud uidetur. Humidum radicale fit ex ſanguine ergo ſanguis eſt pars ipſius & conſequenter pars corporis quamuis .n. humidũ radicale ex ſanguine fiat uel inſtauretur; non tamen fit ex eo ſicut ex materia permanente, ſed ſolum ut ex materia tranſeunte, ideo non oportet, ut ſit eius pars actualis:

hac eadem rõne non ualet, ſanguis fit ex chilo, ergo chilus eſt pars actualis ſanguinis, non valet, quia chilus eſt materia tranſiens nõ permanens.

Ad Duodecimũ reſpondetur quod illa maior eſt vera ſi intelligatur non tantum actu, ſed ét in potentia propinqua qm̃ ſanguis qui mouetur ab aĩa ad oẽm differentiam poſitionis quamuis n̄on ſit actu uiuens, neq; pars in actu corporis humani, eſt tñ quodlibet iſtorum in potentia propinqua, adeoquod aĩa à qua ſanguis mouetur licet non ſit forma actualis ſanguinis ſed ſolum corporis aĩati in quo ſanguis continetur eſt tamen forma ſanguinis in potentia propinqua.

Vnde erit diſtinctio Animam eſſe formam ſã guinis, reſpondetur, contingit vel in actu, vel in potentia propinqua.

Ad Decimumtertium reſponſum eſt in corpore quæſiti ſexto notando.

Ad Decimumquartum dictum eſt ſimiliter ſupra in diſtinctione illa quatrimembri quomodo aliquid eſſe poſſit de veritate & parte humanæ naturæ: ſanguis.n. poteſt dici pars hominis non intrinſecè, quia ſic aduerſarius haberet intentum, ſed extrinſecè primo modo.

F I N I S.


Dialogo

DIALOGO
D'AMORE
D'ANGELO MORELLI
ARETINO

Seruita Filosopho, e Theologo Eccellentissimo.


INTERLOCVTORI.

Angelo, e Fausto.



IN PADOA,
Appresso Lorenzo Pasquati. M D Lxxxix.

Con Licentia de' Superiori.



AD

FRANCISCVM MARIAM VRBINATIVM II. DVCEM SERENISSIMVM.

De Sancto Amore Decastichon.



DVCTVS amore, Deus condit terrasque, polosque;
Atque eadem sapiens mutuo amore ligat.
Quin sator, & rerum nos iam reparauit amore,
Sanguine dum proprio crimina tetra lauat,
Hunc adime humanis rebus, quæ grata relinquis?
Iam redde ablatum, næ bona cuncta dabis.
Quid magnum Francisce, tibi est, si temnis amorem,
Quo Cælum regitur, lætaque terra parit?
Si nihil hoc orbis melius, nec sidera cernunt.
Hunc tibi qui misit, munera dia dedit.

Faustus Albergottius Arretinus.





DIALOGO D' AMORE.

INTERLOCVTORI *Angelo, e Fauſto.*



Fau. 
SSENDOCI noi ripoſati hormai tre hore, ſotto l'ombra di queſte piante al mormorio del acque di queſto chiaro fiumicello, & paſciuto l'animo di una dolce armonia, & canto di vcelli, che qua e la uolando ſcherzando uanno: tempo gia mai, e, che per paſſare il reſtante di queſto giorno ſenza otio, ragioniamo di qualche coſa diletteuole, & perche buona parte di noi ſiamo giouani, à quali ſogliono dilettare coſe amoroſe, parleremo d'amore, con quella honeſtà che ſi conuiene, a

giouani

giouani virtuosi, Nobili, & ben creati, & perche io sono di natura curioso piu che gli altri, & facile al dubitare, ma non a sciorre: andrò mouendo alcuni dubbi: a i quali; per esser uoi filosofo, & Theologo consumato, proto a soluere & spianare ogni difficulta ui degnerete per cortesia rispondere.

Ange. A un' nobil Caualiere è si compito qual sete uoi e dottore se ben di differente professione dalla mia, non è difficile cosa alcuna per graui ch'ella sia, massime parlando di cosa Cauallerescа come, e, Amore. pur so contentissimo per l'Amor ch'io ui porto; non perche io mi cognosca bastante a tale impresa, ma per sotisfare al desiderio uostro meglio che potro.

Fau. Ben l'affettione ui traporta, lassiamo star le ceremonie, & le belle parole. la prima cosa che io desidero sapere è se quel'Amore, che da tutti si chiama cupidine, ò libidine sia un'Dio, come da i Poeti si tiene, ò no.

Ange. Non solamente non è Dio, ma miseri, infelici, & ciechi sonno quelli, che l'hanno per tale: & se bene l'Antichità lo chiama Dio, lo fà non perche ueramente sia Dio, ma per scusare questo furore humano di libidine con una scusa celeste, & coprir' malitiosamente una sceleraggine crudele con un'diuino instinto. Volete uoi che Dio, che non è autore di male alcuno, scusi i no

stri

brutti errori; quali a pena gli copre il Cielo? uolete voi, che Amor sia Dio, ridendo, & godendo si del sangue alieno, cosa non cōueneuole a Dio? da cui non depende se non bene? più oltre uogliono alcuni che Amor sia figliuolo della lasciuia, & del otio, due miserie estreme de i mortali; Altri dicono che Amore è nato nei campi, nei boschi tra le bestie, & non sa far altro, che ferire & innamorare, come uolete dūque honorarlo come Dio? In questo medesimo modo si confuta l'opinione falsa della Fortuna: perche i Poeti, è Filosofi gentili uolsero, ch'ella fosse una Regina, & Signora del Mondo, dalla quale tutti i successi si cagionassero. Anzi perche uoleuano, che ella fosse una intelligenza occulta che non si potesse ne dal senso, ne dallo intelletto cognoscere, s'immaginorono, & finsero, che fosse una fāciulla cieca, con due fronti, crinita inanzi, & calua dietro, & che sedesse sopra una ruota, che sempre rotasse, & dalla gran possanza sua, la chiameremo Dea: dequi è, che Vergilio la chiama omnipotente, & che Seneca, Giouenale, Salustio, Cicerone, & molti altri dissero ella tenere loscettro delle cose humane: Questa opinione e falsissima, perche come puo esser Dea, se hora è buono & hora cattiua? & oltre acio, come ben disse S. Agostino come se gli possano consacrare altari, & offerir incensi, & altri doni, se con esperienza

k si uede

